



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

2. De proditione Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

nam illam se conuertit, dictum eius approbans, & beatam illam non obscure prædicans, dum ait: *Quinimodò, beati, qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud*, inter quos, & tu censeri mereris. Zelus gloriæ Christi & B. Virginis propagandæ singularis, & constans, absque vlllo respectu humano.

De proditione Christi. Matth. 26.

Ioan. 18.

II.

I. **C**hristus Dominus, licet totus esset exhaustus sudore sanguineo, vt dicere posset; *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea: præuideretque, se tota illa nocte, & postero die, absque vlla refocillatione tam varijs dirisque modis, exagitan- dum, nihilominus intrepidè obuiam procedit sanguinario cætui satellitum & lictorum, quorum dux erat Iudas, vnus de duodecim, qui pro tesserâ dederat illis osculum, aliàs pacis signum. Quanta cœcitas proditoris, tam audacter festinantis ad tantum flagitium! Quanta charitas Saluatoris, tam alacriter properantis ad tantum supplicium!*

O 7

cium!

cium ! Gratitude , amor, resignatio.

II. Permittit se osculo à Iuda tradi, quem suaviter amicum vocando , & pristinam gratiam illi præstitam in mentem reuocando reducere à cæpto scelere conatur: *Amice ad quid venisti: & efficaciter deterrere , indignitatem facti insinuando : Iuda, osculo filium hominis tradu ?* At perfidus ille nihil his motus, auaritia excæcatus, ad secleratam turbam redit, quàm meritò de illo cum Propheta conqueri poterat: *Homo pacis mea, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem!* In quale profundum præcipitauit cupiditas proditorem, ex quo nullis blanditijs, nullis minis educi posset? In quale mare amaritudinum demersit charitas Saluatorem, ex quo non nisi per amarissimam mortem extrahi vellet! Horror ingratitude, amor Christi & crucis.

III. Malcho cæteris petulantius irruenti in Christam Petrus, educto gladio, auriculam dexteram abscidit in iussu magistri, qui mox cum eo compefcuit, Malchumque sanauit, declarans se nolle defendi profusione alieni sanguinis, qui suum fundere pro omnibus

nibus in mundum venerat; se acceptare calicem passionis de manu Patris, non de manu perfidi ludæ & impiæ cohortis; mansuetudinis, misericordiæ, amoris, etiam erga inimicos necem sibi machinantes, & perfectæ erga Patrem resignationis? quàm merito affectu & effectu exprimendus?

De captiuitate Christi. Ioan. 18.

III.

I. Iesus milites & satellites cum lanternis, facibus, & armis stantes attonitos interrogauit: *Quem queritis?* & respondentes; Iesum Nazarenum, verbo suauissimo: *Ego sum*, prostrauit in terram, iterumque interrogans, idemque respondentibus dixit, *Dixi vobis, quia ego sum. Si ergo me queritis, sinite hos abire*; idque ex tenerrimo amore erga discipulos, ne illis quicquam mali inferretur; & zelo salutis erga impios sicarios, vt vel hoc saltem diuinæ potentia suæ indicio, eorum cæcitas illuminaretur, furorque comprimeretur, quamuis nec blanditijs molliendos, nec minis deterrendos præsciret. O quanta teneritudo amoris Christi erga suos Electos! Quanta lōganimitatis & misericordiæ magnitudo.